



## I. Abtheilung: Studien.

---

### SS. P. N. Benedictus Ecclesiae Dei Lux Indeficiens.

Tractatus.

Ortus est Sol. Psalm. CIII. — Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. Isaiae XLIX. 6.

#### Prologus.

Omnino affirmare licet totius terrarum orbis salutem esse lucem. Extinctum fingite solem, stellas suis exuite radiis, quid de terra fiet? Illico rerum omnium pulchritudo periit, cum quaevis pulchritudo nihil sit aliud quam reflectendae lucis aptitudo vi et proportionibus oculo delectabilibus. Deinde pereunte luce calor totus deficeret, quippe qui eiusdem perpetuo comes, una facile eademque res cum ipsa ab eaque procul dubio inseparabilis. Calore ablato, en tibi rerum universitas confusa, turbida, immobilis, torpens, mortua. Fontium, fluminum, maris aquae horrida glacies; glacies vitalis arborum succus omniumque plantarum; glacies humor omnis totusque sanguis in venis hominum et animantium. Ita nec motus, nec vegetatio, nec vita. Tellus tota quanta est desertum, iners massa, desolata et tenebrosa necropolis. Talisque in aeternum iaceret, usque dum Deus iterum non proferret beneficum illud suum Fiat lux.<sup>1)</sup> Hac rursus apparente extemplo unoquoque sinu, unoquoque recessu demortui

---

<sup>1)</sup> Genes.: I, 3.

illius orbis denuo vita ferveret; innovatusque aerae sibilus et gurgitum ebullientium aquarum susurrus, et fluminum murmur, et despumantium maris undarum mugitus expergefatarumque avium melos, laetumque carmen reviviscentium nationum lucem salutarent festivumque hymnum ei concinerent, qui per innumeras variantium vocum harmonias millies multiplicatus repeteret: Totius terrarum orbis salus est lux, totius terrarum orbis salus est lux.

Profecto ita est. Lux est terrae salus. Et hac tantummodo causa lux usurpatur velut imago boni cuiuscumque, sicut tenebrae cuiuscumque mali. Idcirco Manichaei et Gnostici, rerum figuras cum obiectis per has repraesentatis perperam confundentes, autumarunt: Deum bonum, totius boni principium, nil esse aliud quam corpus lucidum ipsamque lucem; illud vero quod somniabant commentum, deum malum, totius mali fontem, nil aliud quam corpus tenebrosum ipsasque tenebras. Imo Ecclesiae Patres in lucis creatione Angelorum creationem designatam intellexere, et in lucis a tenebris divisione Angelorum Deo fidelium perstantium a praevaricatoribus discrimen. Paulus autem Apostolus Angelos lucis bonos Angelos appellat, angelos tenebrarum reos daemones. Evangelium opera lucis bona opera nominat, opera tenebrarum opera prava; ibique legitur: virtutem amare lucem, vitium tenebras. Christus Jesus a Joanne dictus est lux vera unumquemque illuminans hominem venientem in hunc mundum. Idemque Salvator noster de seipso ad Judaeos sermonem faciens praedicare non desinebat: Dum lucem habetis, credite in lucem. Hoc est autem iudicium (adiiciebat), quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.<sup>1)</sup>

Jam vero cum lux terrae sit salus omnisque boni figura, cum Christus humani generis Servator lux sit et hanc lucem amare salus sit, iure asseverare licebit: Unumquemque hominem a Deo missum in salutem aliorum lucem esse salvatricem, cui Dominus haec verba facere videtur: Ecce dedi te in lucem, ut sis salus mea. Non omni quidem huiusmodi homini Deus diceret: Dedi te in lucem gentium; nam aliqui in familiae,

---

<sup>1)</sup> Joann. III. 19.

aliqui in oppidi seu urbis seu provinciae seu gentis unius salutem directi fuerunt. Multoque minus omnibus istis Ipse subiungeret: Ut sis salus mea usque ad extremum terrae. Istud enim effatum tota suae acceptionis amplitudine sonat: Usque ad ultimum terminum spatii temporis modi. Et vir, ad quem Deus loqueretur: Lux eris in salutem gentium usque ad extremum terrae, lux foret cunctis regionibus, omni aetati, quibusvis rationibus. Sed quisnam extitit lux tam universalis tempore spatio modo? Alii toti orbi lux fuere, at tempore praefinito; alii omni aevo, at certis locis; alii omni genti et saeculorum omnium fluxu, at non quocumque respectu.

Quamobrem ex praetactis nos asserere non ambigimus: Verbum illud propheticum quanta maxima latitudine usurpatum nulli rectius quam S. protoparenti nostro Benedicto applicari posse; adeo ut per hoc character ipsius definiatur, quo inter ceteros christianae sanctitatis heroes ita secernatur, ut, si illi velut minores ignes Ecclesiae Catholicae affulsere, Benedictus uti sol ortus esse dicatur, omnes gentes omnemque aetatem omni ratione illuminans usque in diem illum, qui in aeternitatem occidet.

Quod res ita se habeat, nostrarum partium erit argumenta subiicere. Si solis radius crystallum insiliat, quam physicae rei cultores prisma appellant, lux, quae candida ante apparebat, in innumeras propemodum colorum species resolvetur, quae nihilosecius ad septem sensibiliores fulgentioresque revocantur. Hisce septem coloribus seu radiis inspicere nos iuvat adumbratas, non illas Benedicti virtutes, quae sanctitatem ipsius exornant, verum illas meritorum praerogativas, quibus Ecclesiae Dei universae uti sol perpetuo splendet. Hae nostro iudicio videntur esse: Apostolatus sive dilatandae fidei studium, Divini cultus promovendi Magisterium, Petri Cathedrae minorumque Ecclesiarum regimen, Monastici Ordinis constitutio, totius humani generis in civile consortium recta compositio, Rei litterariae Scientiarumque conservatio et incrementum, Pulerarum omnium Artium progressus sive creatio. De quibus singulis, Numine adiuvante, totidem capitibus septifariam agere aggredimur.

\* \* \*

Caput Primum.  
De Benedictino Apostolatu.

Quindecim abhinc retro saeculis recursis, mente et phantasia ad annum Christianum quadringentesimum nonagesimum quartum revertentes, fingamus iter agere via illa, quae per octoginta passuum millia et amplius Nursina ex civitate Romam ducit. En tibi liberioris generis adolescens, forma praestantissimus, modis gratiosissimus, generosus animo, fervido excelsoque ingenio praeditus et voluntate ita propositi tenaci, ut eam adamantina soliditas videatur temperasse. Hic Urbem petit totius sapientiae adipiscendae cupidus, cuius Roma, saeculo quinto inclinante, adhuc sedet fons et regina gentibus occiduis. Admiramini, contemplamini, arrectis auribus audite puerum huiusmodi. Et statim demissa cervice reverebimini velut auroram magni diei praeconem. Ipsius fronte descripta legetis alta eius fata, plurimorumque aliorum per eum. Paucorum annorum inducias indulgeatis, usque dum is profunda omnium disciplinarum arcana doceatur, et magnanimis facinoribus nominis fama clarescet. Grande promissum! At insequentia facta probabunt necne? Eheu! Adolescentulus uno ictu videtur tantae spei stamina praecidere. Florem virgineae suae integritatis foedandi metu trepidus in illo corruptelarum magis quam scientiae emporio, Româ fugâ dilabitur, quodamque oppidulo trans Aniena occulitur. Sane quidem sanctimonia vitae et portenta rusticanorum venerationi eum patefaciunt. Sed huic se abripiens et abrupta Simbruinorum montium carpens, specu inaccessa abditur, ubi nulli alii notus vivit quam Romano cuidam eremi acolae, qui statis diebus per calathum longo fune dependentem ei subministrat panem perpetui ieiunii recreatorem. Continuum caelestium rerum contemplandarum studium, frequentesque extases pueri vix trilustris; mirandus quem agit de immundo spiritu triumphus, metuenda propriae carnis coërcitio usque ad volutandum inter lancinantes vepres tenerum nudumque corpus. Spectaculum Caelitibus suspiciendum, qui in ipso aemulum diligunt, at mundo hominibusque ignotum. Lucerna ardens et lucens, verum sub modio, nullis praeter rupes et belluas testibus. Post huiusmodi vitae triennium, caelo fidelium pietati ipsum revelante, septemdecim annorum adhuc imberbis, moderator frigescentium ascetarum expetitur. At ab his arctae disciplinae inimicis eiusque vitae venenato potu propterea insidiantibus evadens priscum antrum repetit. Ibi quoque examen magni cordis animique volentis sociorum ad eum convolat, quibus minime fugit se duces praebere. At quo? Ad poenitentiam, ad solitudinem, ad silentium. Regulam edicit, qua nil praescribitur aliud nisi carnis maceratio, fuga humani commercii, loquelae fraenum. Nulla per eam studiorum methodus vel commendatio,

nullum intelligentiae excolendae consilium, nulla ad apostolica munera adhortatio. Filii hominum saeculum sapientes, vaticinamini. Quid homo iste erit? Videmur tumidum vestrum audire responsum. Erit bonus coenobiorum incola, efficax informator similem vitam degentium ad preces fundendas, ad comedendum et mortem obeundam, quin vestigium de se relinquat super terram. Breviter: vir erit civili societati amissus, exemplar pluribus humano consortio pariter deperditis. Miseri caeca elatione inflati! Quam abnorme mentiuntur saecularis sapientiae pondera hominibus eventibusque metiendis! Scitisne, quisnam erit homo iste communi commodo perditus? Is erit maximus omnium gentium Apostolus. Christi cultores quotquot estis, qui hisce paginis oculos inclinatis, Ecclesiae Catholicae, apostolicorum virorum unius altricis, ingenua soboles, contemplantini nobiscum celsissimum hunc apostolatus auctorem, vestraque admiratione, vestroque animo grato ad sidera extollatur nomen illius, re quidem vera Benedictus.

#### Prima Paragraphus.

#### De Apostolatu Benedictino ad Gentes.

Undecies decem centena Martyrum millia et amplius, fuso pro Jesu Redemptore sanguine, Idololatriam vicerant et a totius orbis Metropoli, ubi longa saeculorum serie tyrannidem in universas gentes exercuerat, perpulerant in perpetuum. At illa necdum animis fracta, templis cultoribusque gloriabatur sub ipsius Romae oculis, sedis Successorum Petri recens effectae, callidasque moliebatur insidias ad colla populorum truculento suo iugo denuo subigenda. Nec diu cunctandum fuit, cum pessimum hoc monstrum per Gothos, Visigothos, Ostrogothos, Vandalos, Longobardos, Jutos, Unnos, Francos, Anglosque, cunctasque Hyperboreas gentes super labefactatum Romanum Imperium se proruentes, ubique locorum plagis depopulatis, vastatis, igne et sanguine mixtis, omne hominum genus in barathrum vitae belluinae minabatur coniicere. Ecquisnam Europae manum porriget, ne tenebricosae illius abyssi praecipitio se collidat? Huic tantae molis operi Deus Benedictum elegit, sive immediate per se, sive mediate per suos impigre et in aevum adlaboraturum. Sane quidem mirandum supra modum esset, quomodo Romani Pontifices, Sancto Silvestro per ultra saeculi spatium suffecti, ferre potuerint tam sibi prope Casinenses populos idolorum cultui mancipatos, quin aliquid curae impenderint illis Evangelio vindicandis, nisi peculiaris supremi Moderatoris ordinatio servasset illud latinae gentilitatis residuum Benedicto abolendum, quo huic tantummodo gloria maneret ad exitum perduxisse opus a Petro et Paulo coeptum promotumque, Europae nempe universae Christo lucrandae, perque eam reliquum orbis. Merito igitur Sanctissimum Patriarcham nostrum

titulo postremi Italiae Apostoli a sapientibus exornatum invenimus ; munus enim Apostolorum Principibus attributum, omnium gentium multitudinis Christi ovili apponendae, iam Benedicto transmissum cernimus, cui exequendo operam navare numquam desinet.

Jam vero quinam sunt mediae aetatis Apostoli? Videmus eos fere omnes e claustris Benedicti in apostolicam arenam prosilire. Nam in tenebris idololatriae et mortis umbra sedentes eripiunt Augustinus cum triginta monachis Angliam, Eucadius et Fridericus Scotiam, Anscarius Villibrordus Rembertus Adalgarius Gislemarius Christianus Sveciam Norvegiam Daniam, Bonifacius Germaniam, Colmannus Gislarius et Wolfgangus Austriam, Adalbertus Poloniam Boemiam Hungariam, Brunonerus Graeciam, Rudbertus Bavariam, duo Evaldi et Villealdus Saxoniam, Ingelmundus Neerlandiam, Bruno et Joannes Meclenburgensis Borussiam, Adalbertus alter Russiam cunctamque Scythiam, Audomarus Lambertus Amandus Belgium et Zelandiam, et ultimus etiam Slavos, Blitmundus Picardiam, Benno et Lubentius Illyricum, Mainardus et Bertoldus Livoniam, Abbo et Livinus Guasconiam et Brabantiam, Trudo Hasbaniam, Chilianus Franconiam, Vulfranus et Radbodus Frisiam, Lebuinus Vestphaliam, Oto Pomeraniam, Sigibertus et Vigarius Helvetiam, Sturmus Thuringiam, Virgilius Carinthiam, Arbogastus et Leopardus Alsatiam, Caidocus Galliam Maritimam et reliquum Radegunda Monialis ex regina, Trebellius ex rege Monachus Bulgariam, Gerardus Silesiam, Bononius Aegyptum et Babylonem, Venerius Palmariam Insulam, Brandanus Canarias, Marcellinus Transiselanos, Vandregisilus Caletenses, Vimo Normannos, Malachias Hibernos, Turibius Fulgentius et Martinus Dumiensis Hispanos, Fructuosus Lusitanos. Hic postremus insulas et promontoria perscrutatus, magnis itineribus terra marique relectis, ubique locorum monasteria excitabat, quae Mauris Ibericae Peninsulae late dominantibus asylius patuere fidei et virtuti in dies servandis, quibus Hispania et Lusitania Mahumetanorum excusso iugo, vela ignoto mundo detegendo pandere, Crucisque vexillo in Asia Africa America erigendo, Sancti Benedicti sobole perpetim duce, insudarunt. Ecquinam Catholicam Religionem Americis invexere, duodecim ante monachos cum Genuensi Christophoro Columbo profectos ex Montisserrati Abbatia, antesignano Bernardo Buillio Novi Orbis Proto-Antistite? Omnes isti barbaras terras illas sanguine purpurarunt, suisque sodalibus sitim acuerunt tam invidendae mortis in dilatando Evangelio obeundae. Sicut Petro de Oviedo, ex monacho Hortensi Americanum Primate, aliisque plurimis, qui uno anno millesimo quingentesimo et una Sanctae Crucis insula centum septuaginta idolorum millia contriverunt.

Hoc eodem quo vivimus aevo quatuor mundi partibus quinta accessit Oceania. At qui primi, quaeso, extitere Apostoli et Episcopi praeter Benedictinos? Unam gentem commemorate, quae fidei lumen aliqua saltem ex parte Benedicto non debeat. Persiam, Armeniam, Aethiopiam? At inibi ad mille numerabantur monasteria ex una Cluniacensi familia. Palaestinam? At quis, quae Loca Sancta dicuntur, Francisco Assisinati Caeliti eiusque proli cessit, nisi Sanctissimi Benedicti filii, omnis generis auxiliis et quadraginta sociis monachis suppeditati? Tartaros Sinensesque populos? At ad illos Dominici Gusmani alumnos misit Innocentius IV, his Praesulem constituit in ipsa Pekini metropoli Joannem a Monte Corvino Clemens V, uterque in Pontificem Maximum ex cucullis assumptus. Igitur Jesu Christi verbum: Praedicabitur Evangelium in universo mundo, non aliter quam per Benedictum impletum probari potest. Ipse ad omnes gentes missus dicendus est, cum nullum mare tam procellis obnoxium fuerit, nulla tam densa dumeta, nulla tam horrida ora, quo sublime genium ipsius non impulerit vel sui spiritus filium, vel alium, cui in apostolico munere gerendo absque ingrati animi nota liceat eum diffiteri magistrum. Ab Europa Catholicae veritatis lumen reliquo orbi affulsit, et utrique non ab alio quam a Benedicto prioribus Christi Apostolis succedente.

Hinc contemplandis Benedictini Apostolatus praerogativis animum paulisper adiungamus. Omnes totius Ecclesiae militantis Ordines iure meritoque gloriantur apostolicos viros genuisse barbarosque populos praeceptis et moribus Christianae Religionis imbuisse. Verum unius Benedictini Instituti est decus universalis cuiusdam in cunctas gentes apostolatus, normae simul calcarisque aliis in salutem animarum incunctanter adlaborandi. Quodque magis suspiciendum, dum aliorum Apostolorum fructus, licet certae regionis angustiis coartati, vel numquam ad maturitatem pervenerunt, vel cito deciderunt; quos tulit Benedictus Pater Sanctissimus, scopum plane assecuti, magna ex parte adhuc a saeculis perseverant. Ut exemplis sententiam illustremus, tercentum et amplius annis a pluribus religiosis coetibus insudatur Sinarum gentibus Ecclesiae aggregandis, et vix inter bis centies decem centena hominum millia octoginta catholicorum millia computantur. Japoniae Indisque regionibus fidem Xaverius invexit, et priore nondum saeculo a conversione elapso, omnes in idolatriam relapsae sunt. E contra gentes omnes quae Benedicto Evangelii lucem debent, in Christi cultu permansere, aliquot etiam uni veraeque Ecclesiae perpetuo adhaerentes, aliquot tantummodo recentiorum haeresum labe infectae.

Verum ea, quae inter Benedictini Apostolatus praerogativas gloriosior refulget, est missio eius immediate a Deo, sicut duo-

decim Religionis fundatorum. Ne hoc velut ingenii nostri inventum exaggeratumque existimetur, Angelici Doctoris ipsissima verba exscribamus oportet. Sanctus Benedictus Divino iudicio reputatus fuit idoneus, cui immediate a Deo committeretur praedicationis officium.<sup>1)</sup> Et re quidem vera nullum indicium, ne dicamus monumentum, superest vel commemoratur, unde arguere vel suspicari liceat: Sanctissimum Patriarcham a Pontifice Maximo vel ab Episcopo missum ad praedicandum Casinatibus populis fidem. Imo dum in actis ecclesiasticis saeculi quarti cuiusdam Severi mentio Casini Antistitis invenitur; post Sancti Benedicti illuc adventum impossibile est vel leve vestigium reperisse sive Episcopi, sive Cathedrae Episcopalis Casinensis. Mittuntur sane S. Maurus in Galliam, S. Placidus in Siciliam, sed non ab alio quam ab ipso Monachorum Patre Legifero; ita ut Christi ad discipulos verbo ipse unus inter Ecclesiasticorum Ordinum auctores iure meritoque usurpare possit: Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos.

Non igitur temerariam, sed rationum momentis innixam a maioribus accepimus traditionem: Tunc almo Parenti nostro in humani generis universitatem a Deo demandatum fuisse apostolatum, cum illi extra se raptò atque ad Divinae Essentiae intuitum, quantum mortali fas est, sublevato cuncta creata simul ad instar unius radii solis contemplanda dedit. Tunc procul dubio videre erat: Benedictum velut lumen ab illo inaccessibilis lucis centro, ab illo sempiterno Trino Unoque Sole vibratum, adeo ut salus Dei fieret usque ad extremum terrae. Et Trias Individua eum alloquens omnipotenti illo imperio, cui patrare idem est ac dicere: Ecce dedi te, repetebat, in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. Arrectis auribus, magnoque corde inexplebili amoris incendio exaestuante, iussa excipiebat Benedictus suaeque proli cunctis futuris aetatibus secuturae inclamare non desinebat: Ite, accendite, inflammate omnia. Eheu! Quam late patet messis et quam messorum numerus impar! Filioli mei, quid morae? Ite, agite, partimini universum orbem vestris flammis combusturum. Ite, accendite primo Siciliam, deinde Gallias, Hispaniam, Angliam, Germaniam. Ite, accendite. Ad Svedenses o Anscari, ad Slavos o Amande, ad Batavos Rudberte, ad Danos Suitberte, ad Polonos Scythasque vos ambo Adalberti, ad Americas o Bulli. Ite, accendite omnia, filii filiaeque meae, neque patiamini itinerum terminos attendere: cursus ipsos sanctificate, vias sacratote, transeuntes maria terrasque inurite. Inflammate omnia. Haec ille.

---

<sup>1)</sup> Opusc. XIX. C. IV.

Neque a veritate aberrat: Vi primaevae illius Benedicti expeditionis sobolem ipsius universum circumlegisse orbem, atque ad Evangelium disseminandum abstrusiores locutam fuisse sermones, aspergi omnem tulisse iniuriam sive ignescentium sive glacie perpetim horridorum climatam, sive morum efferatorum, sive barbarice vivendi rationum. Ipsa gentibus Europae prope infinitis Christum detexit, ipsa Asiae revelavit, ipsa praedicavit Africae, ipsa Americae, ipsa Oceaniae. Imo, si gravioribus fides habenda est scriptoribus, Sanctissimo Patriarchae adhuc vitam agenti idem Oriens, licet superba elatione tumidus, pleraeque regiones supplices dedere litteras, domos plagasque incultas obtulere crucibus erigendis, hominibus sacro fonte expiandis, idolis conterendis, ecclesiis aedificandis. Carae litterae caraeque oblationes, quas Almus Parens iterumque cordi premeret fusisque tenerrimisque rigaret fletibus! Cara pignora certiozem eum reddentia de triumpho, quem filiorum suorum ope, ubique terrarum gloria Christi actura erat.

Nec tantummodo Apostolorum seminarium extitit Sanctissimi Benedicti Religio, imo auctrix peculiaris studii viris apostolicis informandis, antequam in arenam descenderent cum tartareis potestatibus pugnaturi. Idea Collegii monachis ad sacras inter gentes expeditiones instituendis primo affulsit Casinati Constantino Caietano, S. Barontii Abbati, quae ita Gregorio XV Pontifici Maximo arrisit, ut eam imitatus Congregationem De Propaganda Fide ad radices Pincii collis fundaverit eique Collegium Gregorianum addiderit, quod Caietanus a fundamentis excitaverat, totam avitae domus suae fortunam conferens sodalibus ad Missiones educandis easque obeundi voti religione adstrictis. Ita sane ut clericorum moderna seminaria omnia fidei amplificandae erecta ab uno illo Benedictino normam hausisse operariorum rite comparandorum indubium est.

Quare mirandum non erit, si famam facta sequentur, Leonem XIII, hodie Petri cathedram administrantem, decrevisse Familiae Benedicti Sanctissimi Orientis Missiones attribuere, domumque ad alumnos pro illis virtute doctrina linguisque imbuendos in vitam iterum revocare; quippe qui probe novit: res omnes in suo esse melius servari non posse quam rebus, quae ipsarum causa fuere vel ad ipsas efformandas influxere. Fidei igitur ad universas terras per Benedictum propagatae non velificabitur, nisi Benedicto maximopere adnitente. Consilio Moderantis cuncta supremo iussum est. Non licet homini obicem ponere. Augeat ipse Deus auxiliariorum copias et in Benedictinae progeniei propaginibus illum dilatandi Evangelii ardorem inflammet, quo priscis aevis incessanter omnes flagrarunt.

P. S.